



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

3. Sacrilegium punitum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

----- jus regnandi gratia

*Violandum est: aliis rebus pietatem colas.*

Et dux ille Græcorum scelestè; qui, *pueros juglandibus, viros jurejurando falli oportere, dixit.* Cicero pro Roscio: Perfidiosum & nefarium est, inquit, fidem frangere, quæ continet vitam & commercium hominum. Monet Silius non reges tantum, sed quosvis alios

----- ne rumpite fœdera pacis,

Nec regnis postferte fidem.

Sensit ultionem perfidiæ Laomedon cum omni progenie sua; potestque cuilibet perjuro occini illud *Æneid.* 4.

----- Nescis heu perditæ, necdum

Laomedontæ sentis perjuriam gentis?

III. (c) Mythologi docent occasionem huic commento, idè datam, quòd Laomedon pecuniam, horum Deorum sacrificiis destinatam, & consecratam, ad commodum suum, atque adèd ad ædificandos urbis suæ muros converterit, nec eam (id quod se facturum receperat) Sacerdotibus restituerit. Calamitates autem, quibus ob id sacrilegium multatus est, aliud nihil significare, quàm divinum cultum haud impunè negligi. Magnoperè hoc notandum sacrilegis, templorumque spoliatoribus. *Heliodori*, templi Solymæi inuasoris, supplicium, cui non lectum vel auditum est: 2. Mach. 3. Et nota est parœmia: *aurum Tholosanum.* Nam cum *Tetbosagi*, gens Gallica, duce *Brenno*, Delphos incursassent, & Apollinis templum exspoliassent, se in patriam suam Tholosam (Tholosam scribunt alii) receperunt; exinde pestilentia atrocissima eos invasit, quâ non prius liberati sunt, quàm aruspicum responsis moniti, aurum, argentumque sacrilegio quæsitum, in Tholosensem lacum mergerent. Et hi, & alii, quicumque à rebus sacris non abstinere manus violentas, miserè perierunt. Observanda hîc sententia Senecæ epistol. 87. *Sacrilegia minuta puniuntur: magna in triumphis feruntur.* Intelligence de tribunali hominum, non superum.



X x 3

SYM-

(c) *Sacrilegium punitum.*